

cum hac voce discurrunt : Servi Dei, currite, subvenite; morituri liberentur. Turbamur omnes, excurrimus; major nobis quam illis est metus; qui non accipit ut viveret¹, accipit ne moriatur. Apostolus Paulus ista dicit : « Quid faciunt ii qui baptizantur pro mortuis suis, » si mortui non resurgunt? ut quid ergo et baptizantur » ex eis? Ut quid nos periclitamur omni hora quotidie » morientes? ita gloria vestra fruar quam habeo in Do- » mino. Si secundum homines ad bestias pugnavi Ephesi, » quid mihi prodest si mortui non resurgunt? manduce- » mus et bibamus, cras enim moriemur. Nolite seduci : » Corruptunt mores bonos colloquia mala (a). »

III. Esaïas autem vehementer hoc dixit, deridens atque increpans homines qui negligunt jejunare : « Dicitis, in- » quit : Manducemus et bibamus, cras enim moriemur, » Non remittetur vobis peccatum hoc, quoadusque mo- » riamini (b). » Si victurum te desperas, servi Deo dum vivis, crastino moriturus. Arctaris temporis fine, et quo magis in fide Dei constringeris, eo magis quotidie contra fidem in vita recrudescis. Si immortalis esses, Homo, quid faceres, qui Dei præcepta contemnis cum mortem timeas imminentem? exple omnibus cibus, dapibus onera corpus et dormi, et crapulam exhala; insulta Deo munèribus suis, quibus te pascit ac vestit. Qui, populo jejunante, nunc prandis, prandente populo, jejunabis. Est Propheta² hæc dicens : « Unus esurit, alius ebrius est (c). » Damnat stomachi vestri causas, querelas et vitia crudelitibus³ facta, quibus sani quotidie laboratis; ita inexcusabiles facit, ut qui vesci carnibus assolet pro Deo vel sto-

(a) 1 Cor. xv, 19-33. — (b) Isaï. xxii, 13, 14. — (c) Cor. xi, 21.

¹ Cod. evidenter male *biberet*. — ² Cod. habet *est Propheta*, vel *os Prophetæ*; dubium legitur. Prophetam Apostolum nominat. — ³ Cod. *crudelitibus* male.

macho, debeat vel oleribus pasci¹. « Qui infirmus est, » inquit, olera manducet (a); » et iterum : « Esca nos » non commendat Deo (b). »

IV. Exigit, exigit quidquid sacerdos indicit. Exigit profecto jejunia morbis arguentibus, aut negotiis. Reddet ea tempore incongruo, qui tempore competenti non facit. Exigit misericordiæ partem pauperibus denegatam. Exigit impia lucra per damna, dum eripit aliquis improbus, quod pauper debilis non accepit. Exigit quotidie baptizandos² tanquam numerum debitum annorum; et quod una die non redditur, toto anno reddetur. Frustra igitur vos indevoti abducitis; de vobis Deo toto anno reddetur. Necessitas exigit, quod voluntas insipiens denegavit.

SERMO XXI.

De Pascha I.

Eruitur ex Cod. civ, fol. 27. In Cod. Cassin. nomen non habet; nomine autem sancti Augustini insignitus legitur in Bibliotheca Laurent., tom. 1, p. 402. Unde sancto Doctori adjudicandum esse non minime dubium est. Ponendus est in editione Maurinorum post Serm. cccxxiii, cum numero de Pascha vi.

(a) Rom. xiv, 2. — (b) 1 Cor. viii, 8.

¹ Sententia paulisper intricata, sed cujus sensus potest apprehendi; id est quod, qui *vescitur solum pro Deo et stomacho*, debet, iudice Apostolo, oleribus esse contentus. — ² *Baptizandos* pro *a baptizandis*.

SYNOPSIS.

I. Lætandum in die Paschæ, ubi omnia nova. II. Gratia Christi morientis, resurgentis, et ascendentis. III. Dies lætitiæ et gratiarum actionis. IV. Epilogus.

I. Lux hodie clara refulsit, quia Latro paradisum, dulcis cum Rege comes, intravit. Mortuorum turba surrexit, et vivorum conscientia triumphavit. Si attendas Ecclesiam, vide turbam cœlorum, legiones Angelorum, exercitus baptizatorum circumdantes altare Domini pretiosum. Turbæ lætantur, quia resurrexit Dominus Angelorum. De gehenna producti sunt mortui; facti sunt vivi, ut de fonte ascenderent mundati homines, novi jam facti, Deique pietas mortuos suscitandos, et veteres homines reparandos curaret, sicut scriptum est: « Vetera transierunt, et ecce facta » sunt nova (a); » propterea omnes dicamus: « Hic est dies » quem fecit Dominus, exultemus et lætemur in eo (b). » Quomodo jucundati sunt mortui, dum sepulcra desererent? Quomodo gavisii sunt renati, dum ripam fontis ascenderent? At illi dixerunt nova cantica de nova vita, et isti cantaverunt Alleluia, percipientes gratiam pretiosam. Dicamus omnes: Iste dies est lucis, dies est panis, ut et fame et tenebris careamus, et pane gratiæ suaviter satiemur, et non satiemur obscuritate gentium barbararum, quia nobiscum hodie gaudet exercitus Angelorum. Nemo esuriat cibos panis, quia hodie surrexit « Vivus panis, qui de cœlo » descendit (c): » Hodie catenæ ruptæ sunt inferorum; rumpantur et vincula omnium delictorum.

II. Unde omnibus filiis mater Ecclesia reparetur plenitudine gaudiorum. Veni, Domine, dic nobis: « Pax » vobis; nolite timere (d), » et magnam habebimus secu-

(a) 2 Cor. v, 17. — (b) Psal. cxviii, 24. — (c) Joan. vi, 51. — (d) Luc. iv, 36.

ritatem, ut celebrantes legem, possideamus in omnibus perpetuam claritatem, et dicamus: « Si ambulavero in medio » umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum » es, Domine (a). » Esto ergo nobiscum, Domine, ut umbras non timeamus mortis, ut gaudeamus semper in nomine patientis, resurgentis et ascendentis Domini Salvatoris. Per ipsum ascendamus, et ad Dominum convertamur. Natus est Dominus, et renatus est mundus; passus est, et homo salvatus est; resurrexit, et gemuit infernus; ascendit, et paternus lætatus est thronus. Cum pateretur, mortui resurgebant, et vivi gaudebant: quando resurrexit, captivi solvebantur, et Angeli lætabantur: quando ascendit ad cœlos, lætati sunt Angeli, tristati Apostoli, sed « Tristitia in gaudium versa (b) » mutavit noctem erroris. Sic nobis post noctem laboris, successit lætitia lucis de splendore Domini Salvatoris, sicut scriptum est: « Con- » vertisti planctum meum in gaudium mihi (c). »

III. Passio Domini velum templi dividebat, corda dura scindebat, umbræ tegumentum tollebat, et nostras facies revelabat, ut « Revelata facie gloriam Domini specule- » mur (d). » Quod legis antiquæ mystico nobis velamine velabat, velum abscidit. « Nox præcessit, dies appropinqua- » vit (e); » quia iste est « Dies quem fecit Dominus, exul- » temus et lætemur in eo (f). » Omnes dies fecit imperio suo, sed istum diem fecit sanguine suo. Lætitia fuit mortuis suscitatis, sic et nobis gaudio præsentis gloriæ decoratis. Illi ibant in sanctam civitatem, nos ibimus ad sanctam Ecclesiam; illi in convivio sanctorum, nos in mensa secretorum Dei. Nobiscum lætitiæ societate convivatur exercitus Angelorum. Tollamus munera nostra; afferamus corda nostra, et instantes cantemus cum cithara: « Introibo ad

(a) Psal. xxii, 4. — (b) Joan. xvi, 20. — (c) Psal. xxix, 12. — (d) 2 Cor. iii, 18. — (e) Rom. xiii, 12. — (f) Psal. cxvii, 24.

» altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam (a).»
Dimissa iniquitate nostra, soluta catena nostra, quia ipse
est qui lætificat animam nostram, iterum dicamus: « Iste
» est dies, quem fecit Dominus, exultemus et lætemur
» in eo (b). »

IV. Nemo tristetur, si hortatur, antequam perdet tempora
quam dignitatem (sic): et si parva forte utitur veste, luci-
dam exhibeat mentem, et majori lucebit honore, dum exul-
tat non in vestitu suo, sed in die sancto suo; quia non dixit:
Exultemus in vestimento nostro, sed dixit: « Jucundemur
in eo. » Dies iste tenebras nescit, quia ipse primus tenebras
effugavit: nescit caliginem, quia delevit omnem obscuri-
tatem: nescit noxiam dependentem calumniam, quia in
cruce dirupit omnia merita¹ nostra: paravit pro nobis lec-
tum innocens Redemptor; fugit calumniator, et linguam
perdidit foenerator. Dies indulgentiæ, dies remissionis, et
dies liberationis. Apud vivos est gaudium; ad defunctos
pervenit refrigerium. Dies iste lætus et latus, liber et lucidus,
« Tanquam mille anni in conspectu Dei (c), » quia vere iste
est « Dies quem fecit Dominus. » Vitam si velit non mutare
in plenitudine millium annorum (sic), merebitur gaudere
sine fine in illo die, in quo vera voce cantabunt sancti in
jucunditate, exultantes in claritate, in cubilibus suis lætan-
tes cum Salvatore, dicentes atque respondentes: « Iste est
» dies, quem fecit Dominus, exultemus et lætemur in eo. »

(a) Psal. xlii, 4. — (b) Id. cxvii, 24. — (c) Id. lxxxix, 4.

¹ Merita, id est, maledictionem meritis peccatorum debitam.

SERMO XXII.

De Pascha II.

In Manuscripto Cass. habetur, nempe in Cod. cxxxiv, alias ccciv, fol. 198, cum nomine sancti Augustini. Collocetur post præcedentem cum numero de Pascha vii.

SYNOPSIS.

I. Impletis tristitia Discipulis, et Judæis frustra custodientibus, Christus resurgit. II. E sepulcro signato exit, sicut ex Virgine signata natus est. III. Mulieribus Angelum videntibus et cunctis fit gaudium, exceptis Judæis. IV. Gentes illuminantur, victis dæmonibus et Judæis. V. Nos cum Christo victores efficimur.

I. IN ista die sancta, Fratres charissimi, in ista die inclyta atque egregia, in ista die de qua sacratissimus personat Psalmus: « Hic est dies, quem fecit Dominus (a); » in hac die ablata est tristitia de cordibus Discipulorum, et data est confusio in oculis Judæorum. Ista die Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi impleti tristitia Discipuli; ibat unusquisque ubi poterat, et non erat qui eos congregaret, quia jam impletum erat, quod scriptum erat: « Percutiam pasto-rem, et dispergentur oves gregis (b). » Sepulcrum tamen signatum erat signo Judæorum, custodia militum confirmatum; intus lumen erat, quod omnino ligare non poterant. Quidquid signamus, totum ligare possumus; lumen ligare non possumus. Ideoque æterna lux, quæ in principio mun-

(a) Psal. cxvii, 24. — (b) Matth. xxvi, 31.

dum illuminavit, et coæternus fuit, et est eritque semper cum Patre in unitate Spiritus sancti; unus in Trinitate, et Trinitas in unitate; ipse quidem Deus et homo per mirabilem lucem dignatus est clave¹ veritatis suæ corda tangere, ut quod erat obscurum illuminaret, et quod erat clausum aperiret; ille Deus qui ab Angelo impregnabatur verbo, ipse ab Angelo hodie resuscitabatur de sepulcro, quasi possit ei aliquid obesse signatura, cui nulla fuit impostura. Dantur custodes, qui custodiebant. Nonne jam scierant illum miracula facere, dæmones ejicere, leprosos mundare, mortuos suscitare? An qui poterat aliorum corpora suscitare, se ipsum non poterat de tumulo exhibere?

II. Sed jam corda cæca, Judæorum turba, qui legem habebant et non intelligebant, Psalmum tertium cantabant, sed unum in Trinitate Deum non agnoscebant. Psalmus enim tertius habet¹: « Ego dormivi et somnum » cepi, et resurrexi, quoniam Deus suscepit me (a). » Dum sunt intenti, parati ad confusionem Discipulorum, meruerunt invenire confusionem animarum suarum. Dicunt enim Pilato: « Signemus sepulcrum, quia seductor ille » dixit eo quod tertia die resurgeret. Ponantur, inquiunt, » milites, ne veniant Discipuli ejus et furentur eum (b). » Si clausus erat tumulus Discipulis, numquid claudi potuit sanctis Angelis? An forte non poterat de signato sepulcro resurgere, qui potuit de Virgine signata procedere? Signata fuit Virgo vestra, signata est et sepultura vestra. Generavit sine viro Virgo vestra, et in vano facta est in sepulcro signatura vestra. Dum enim adsunt isti custodes, non jam custodes, sed testes. Illi poterant custodire, sed Deus miserat Angelum, Filium suum resuscitare. Ange-

(a) Psal. III, 6. — (b) Matth. XXVII, 63, 64.

¹ Cod. male dare. — ² Vide Sermonem CCCV, n. 3, Tract. XLVII, in Joan. et præsertim de Civitate Dei, lib. XVII, cap. 18.

lus enim Domini descenderat de cælo; videntes custodes territique expavescunt; non potuerunt videre illum sublimem (manibus¹) Angelorum, quia pleni erant falsitate Judæorum.

III. Permittuntur videre mulieres Angelum quia venerant flentes ad monumentum, quibus dixit gaudium magnum. « Scio quod Jesum quæritis crucifixum, non est hic, » sed surrexit, sicut dixit; venite et videte locum, ubi » positus erat Dominus (a). » O gaudium non solum illis mulieribus, sed omnium fidelium atque credentium reatorum. Surrexit, inquit, sed, ut breviter dicam quod olim fuerat prophetatum, David ille rex plenus Spiritu sancto veraciter cecinit in Psalmo: « Surrexit tanquam dormiens » Dominus (b). » Quid plurimum dicam per longum? sufficiat jam fides, quod explicare non prævalet sermo. Quis noctis præteritæ gratum laborem, quis diei hujus comprehendere potest splendorem? Dies iste omnibus Christianis immensa gaudia propinavit, dum eum nobis Christus cæteris diebus meliorem facit. « Exultemus ergo, Charissimi, et læ- » temur in eo, quia hic est dies, quem fecit Dominus (c). » Puto enim, Fratres, quod iste dies solus magnus dicendus est dies. Iste enim dies lucet in tenebris, et « Tenebræ » eum non comprehenderunt (d). » Tenebras dico Judæos, qui dum diem Christum negaverunt, dum (enim)² clamant: « Crucifige, crucifige (e), » facti sunt tenebræ medio die. Ergo quia Judæi Christum per noctem comprehendere voluerunt, inde in tenebris remanserunt.

IV. Gentes autem et incolæ nationes, quia de tenebris idolorum discesserunt, dies effici meruerunt, dicente Apos-

(a) Matth. XXVIII, 5, 6. — (b) Psal. LXXVII, 65. — (c) Id. CXVII, 24. — (d) Joan. I, 5. — (e) Id. XIX, 6.

¹ Deest in Cod. vox manibus. — ² Vox enim videtur abundare. — ³ Vide Serm. CCXXV, ubi de die, et CCXXX.

tolo: « Qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit » in regnum majestatis suæ (a). » Unde et in alio loco dicit: « Filii lucis, inquit, sumus, et filii diei, non sumus noctis, » nec tenebrarum (b); sicut in die honeste ambulemus (c). » Exultemus » ergo, Charissimi, omnes cum omnibus, quia « Hic est dies quem fecit Dominus. » Quid profuit, inquit, tibi, Serpens, iniquitas tua? aut quid valuit de crudelitate tua persecutio tua? Ecce surrexit de sepulcro quem vos, Judæi, confixistis in ligno. Hodie visus est vivus, qui putabatur occisus. Muni diligenter, Judæe crudelis, sepulcrum; adjice custodias militum, ad vigiliis nocturnorum secretorum, ut probes mortuum, quem noluit cognoscere vivum. Dedisti Judæe discipulo argenti pretium, ut occisum Christum poneret in sepulcrum; da tantumdem custodibus argentum, ut falsum audias a Discipulis furatum. Erogate, erogate, Judæi, argentum in facinus vestrum; in vanum duntaxat vigilatis ad sepulcrum nostrum. Jam surrexit, jam cœlos ascendit, jam glorificatus propter nos, qui se humiliaverat propter nos. Quid estis acturi, facti ex amicis acerrimi inimici? Quem enim zelo fixistis in ligno, ipse sedet ad dexteram Patris in cœlo; ipse est qui « Venit in nomine Domini (d). »

V. « Deus Dominus et illuxit nobis (e); » nobis illuxit, et vos « Sub pedibus nostris subjecit (f). » Plus enim nobis complevit, quam suo Filio promisit. Quid enim nobis complevit, et quid Filio promisit? Psalmus dicit¹: « Dixit, » inquit, Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, do- » nec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (g). » Ecce enim Christus ad dexteram Patris sedet in cœlis, et hos Judæos nostris pedibus subjecit in terris. Cur, Judæe

(a) Coloss. 1, 13. — (b) Thess. v, 5. — (c) Rom. xiii, 13. — (d) Matth. xxi, 9. — (e) Psal. cxvii, 27. — (f) Ibid. 7. — (g) Id. cx, 1.

¹ Vide Explan. in Psal. cx, n. 7.

ferox, quem occideres comparasti? Si servares tibi, quod emeris, non perderes quod habebas. Ecce argentum perdidisti, et quem comparasti, non possedisti.

SERMO XXIII.

De Pascha III.

Legitur in Cod. Cass. XII, fol. 179, sine nomine; sed præcedentes S. Augustini nomen præferunt; sequens autem titulum habet S. Augustini de Alleluia Paschæ. S. Doctori igitur recte ascribitur, cum totus Codex XII. ex S. Augustini operibus sit conflatus. Mutulus est et in multis defectuosus, sed non ideo abjiciendus, præsertim cum pateat, ex Serm. cclxiii, S. Augustinum abnegationem Petri in festis paschalibus evolvisse. Ponatur post præcedentem cum numero de Pascha VIII.

SYNOPSIS.

I. Christus carnaliter in sepulcrum, spiritualiter ad inferos descendit. II. Christi Resurrectio. III. Petri confessio ad renuntiationem reparandam facta.

I. « Deus rex noster ante sæcula operatus est salutem » in medio terræ (a). » Homo igitur extendebatur, Divinitas operabatur¹. Homo enim pati potuit dolorem vulneris; nam quis potest lædere potentiam Deitatis? Caro

(a) Psal. lxxiii, 12.

¹ Codex male comparabatur.

fuit, sanguis beati anima vita corporis crucifixi (*sic*)¹; et quia anima mori non potuit, sola carne jacuit in sepulcro. Ipsa autem prædas agebat, et cum Deo inferos expoliabat². Neque enim Deus occidi potuit, quando nec ipsa anima valuit quam suscepit. Nullus quippe eam delicti nævus infecit, et quamvis passam, tamen Dominus gloriæ crucifixus, sed in homine tendicula, in Divinitate captiva (*sic*). Ecce Dominus Christus in carne mortuus, nunquam in Divinitate correptus, manubria mortis egit, et cœlum tropæis victoriæ pharetratus ascendit. De hoc cœlestium Virtutum officio mortis principes prævio sermone compellunt dicentes³: « Tollite portas, Principes, » vestras, et elevamini, Portæ æternales, et introibit Rex » gloriæ (*a*). » Dominus Jesus sedentibus in tenebris et umbra mortis lumen veritatis ostendit, qua ad eorum carceres relaxandos advenit. Cumque deprædatorem suum, claro splendoris radio refulgentem, mortis auctores respicerent adventantem, pavido sermone requirunt: « Quis » est iste Rex gloriæ? » Et audiunt: « Dominus fortis et » potens, Dominus potens in bello (*b*). » O bellum tandem aliquando finitum! Bellum in sæculo, bellum in inferno! Sed et sæculum vicit innocuus, et mortem debellavit occisus.

II. « Ecce vicit leo de tribu Juda (*c*), » et eripuit potentes, quos diabolus captivaverat, atque rediens ab inferis secum prædam quam ceperat de morte ferebat. Hic est ille, qui « Non habens speciem neque decorem (*d*) » ostendit in Resurrectione non solum pulchritudinem, sed

(*a*) Psal. xxiii, 6. — (*b*) Ibid. 8. — (*c*) Apoc. v, 5. — (*d*) Isaï. lxi, 2.

¹ Textus evidenter mendosus, quem corrigere non ausi sumus, quanquam credi possit amanuensem posuisse verbum *beati* in locum vocis *et*, id est *caro fuit, sanguis et anima vita corporis crucifixi*. — ² Vide Serm. cxxiii, n. 3, et cxxiv, n. 7. — ³ Sensus arduus et difficilis; forte adest mendosum aliquid; interpretationem inveniat qui potuerit.

fortitudinem¹; infirmus in laqueo, fortis in spolio; foedus in corpusculo, potens in prælio; vilissimus in morte, pulcher in Resurrectione; candidus ex Virgine, rubicundus in cruce; fuscus in opprobrio, clarus in cœlo. Glorificemus ergo, Fratres, Dominum, « Qui sic dilexit » mundum (*a*), » ut pro eo funderet sanguinem mundum. Resurrexit; eandem resurrectionem quotidie sancti Evangelistæ, suis testificationibus, nostris auribus insonant. Resurrexit de cavea sepulcri, et « Ecce nobiscum » est omnibus diebus usque in consummatione sæculi (*b*).»

III. Ipse, sicut nunc audistis, beatissimo Petro suas oviculas, ut eas pasceret, commendavit: Pasce eas cum disciplina. Tertio interrogatur de amore, qui tertio negaverat a timore. Ut ergo solveret culpam, jam profuderat lacrymam, quando eum Dominus in sua passione respexit; et « Flevit amare (*c*). » Sed ut restauraret confessionem, edidit lingua dilectionem, quam perdidit præ timore². Ecce, Fratres charissimi, beatissimus Petrus confessus est in aperto, quem ancillæ interroganti timuit confiteri³, et passus pro Christo in cruce percepit coronam, qui ante mulierem, propriam negaverat vitam. Communicet igitur Petro, qui vult partem habere cum Christo, qui nos benedicat.

(*a*) Joan. iii, 16. — (*b*) Matth. xxviii, 20. — (*c*) Luc. xxii, 62.

¹ Deest in Codice *sed fortitudinem*, quod sensus evidenter requirit. — ² Vide Serm. ccxcvi, n. 3; Serm. ccliii, n. 1; Serm. ccclii, n. 5, necnon et Enarrat in Psal. xxxvii, n. 17. — ³ Cod. male *quem ancillæ interrogant, et timuit confiteri*.